

CHRISTIANUS *Weise* /
GYMNAS. ZITT. RECTOR.

OTIA TRIDU
A N A

DOM. III. POST. TRINIT.

SINGULIS SUIS AUDITORIBUS
BENEVOLE AC PERAMANTER
INDICIT.



M DC LXXIX.
ZITTA VIÆ,
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.



Altera dum thalami vicinas vota per aedes,
Atq; novi strepitus post meatecta sonant;
Incluta Musa velut geniales nacta coronas,
Otia continuæ gestit habere Scholæ.
Scilicet ingenium poscit doctrina quietum,
Nec bene cum calido fervet amore labor.
Quinetiam Magnes, si ferrum sentit amicum,
Ac trahit e flexu pondera tarda suo;
Cur minus in juvenes manent exempla Magistri,
Isq; suos secum festa ad amœna trahat?
Est aliquid toto Studiis incumbere nervo
Ne minuat vegetos pigrior hora dies.
Attamen alternæ quis nescit jura quietis,
Dum fugit ad tacitas cura levanda vices?
Vidimus intentos, quos nervus torserat, arcus
Tela dare ad positum languidiora scopum.
Vidimus & plantas nimium crescendo perire:
Improba sic inopes copia fecit agros.
Ergo quod Alma Salus faustum velit esse bonumq;
Ad ternos valeant pulpita nostra dies.
Nullus in absentes jactabit crimina fervor,
Nullaq; nunc lectum pœna prementis erit.
Forte per assiduos cernemus currere campos,
Veris & egressu liberiore frui:
Fallor? an æstatis radios semotior umbra
Franget, vel licitis lingua operata jocis.

In-

Interea fidum fas fit spectare Magistrum,
Otia ne studiis cernat aperta malis.
Aut merui vestrum, meritum vel gusto favorem,
Dum meus é gemino fonte redundat Amor:
Ac adeo nullum veniat si crimen ad aures,
Et fuerint Scholici gesta probata chori;
Tunc me lætitiæ plenos decerpere fructus
Dixero, qui tædis omina digna ferant.
Adde quod incolumem decet huic optare salutem,
In quo vestra solet fructificare Salus.
Aut ego decipior plenas dum computo classes,
Aut sine succésu lectio nulla fluit.
Idcirco precibus ne gratia dia repugnet,
Exhibeat puras unio sancta manus.
Nec mædeant Baccho, Veneris vel rore premantur,
Vel magis in rixas alea tæda ruat.
Hei mihi tot ferias quam concessisse pigebit,
Fallere si melius tempora forte piget.
Ipse velim plenis subito discedere mensis,
Hospes nec tanti, nec mihi Sponfa foret:
Quo minus adsvetum decerneret hora laborem,
Ac fieret scelerum parcior inde locus.
Sed meliora jubet pietas sperare decusq;
Quod nitet almorum clara per acta Patrum.
His Deus exemplis placitam invitare sequelam,
His stimulis pungi pectora lenta cupit.
Undiq; sic gamicis tumidum me sensero donis,
Atq; inter varias fors mea plaudet opes.
Si modo quos nuper poliendos dextra recepit,
Nullum deformet dedecoretq; nefas.
Si poliat vitam virtus pretiosior auro,
Si velut argentam vita modesta micet.

Si

Si nitidos spargat non langvida cura lapillos,
Spesq; novas passim polliceatur opes.
Sic mea Musa libens præsentem franget amorem,
Lætior in Scholicum mox reditura torum.
Utraq; sic faciet semper me Sponsa beatum,
Utraq; dum votis gaudet amica meis.
Forfitan & major Musarum exarserit æstus,
Vester ut amplexus gaudia plura ferat.
Vos equidem citius, quam Sponsam sector, amavi,
Tardior & nunquam Conjugis ardor erit.
Integra non solum vobis dimensa dierum
Offero, sed noctis pars quoq; junget opus.
Sic igitur vacuas jam nunc relinquire classes,
Auctior ut reditum firmet Amoris Amor.
Ipsaq; Posteritas natos mirata politos
In tumulo faustum me vocet inde Patrem.

